



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118529

§. 89. Bononiensis Synodi Epistola ad Papam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

pus, necnon Galeatius Florimontius A-Sæcul. XVI,
 quini Antistes Synodi reditum compro- A.C. 1547.
 barunt quidem, hanc tamen conditio-
 nem adjecerunt, ne Decreta Tridenti
 promulgata novo subjicerentur exa-
 mini. Praccius Martellus Fesula-
 nus, & Alvarus Quadrius Venusinus
 Episcopus, qui ex Hispanis solus Bo-
 noniæ erat, omnino redeundum esse
 censuerunt. Denique Angelus Pascha-
 lis Dalmatiæ Episcopus, Tridentum ef-
 se repetendum judicavit, dummodo nul-
 la alterius rei ratione habita libertati
 Concilii cautum foret.

§. LXXXIX.

*Bononiensis Synodi Epistola ad
 Papam.*

Interea literæ, quas ad Papam trans-
 mittere sancitum fuerat, unanimi
 consensu a Massarello Synodi Secretario
 compositæ fuere, quæ etiam satis eli-
 matae in conventu die vigesima Decem-
 bris habito publice prælegebantur, non-
 nulli tamen aliqua in iis carpebant, quo-
 rum opiniones, ac dubia benignis om- Pallav. l. c.
 nino auribus excipiebantur: interim
 cuncti censebant, hanc Epistolam ad
 Legatum esse remittendam, ut non-
 nulla, prout ei bene visum fuerit, im-
 mutaret, vel corrigeret. Postera die

E e 2 hæ

Sæcul. XVI. hæc literæ latino fermone, ac Legati nomine exarratæ die vigesima prima Decembris Romam mittebantur, in quibus præprimis Synodus dilaudat Pastoralem Pontificis curam, simulque Cæsaris erga Religionem studium, ac proprius, sacrique Imperii prosperitate se preces ad Deum fundere inquit. *Post hæc utrumque rogat, ut quidquid in ea causa responsum esset, boni consulant, in animam sibi inducentes, quod omnia ad incolumitatem, pacemque Christianæ Reipublicæ curandam prolata fuerint. Quamquam autem prosequerentur Triennii jam spatio Patres in Concilio gravia corporis animique, ac rei familiaris incommoda tolerassent, ob quæ durum videbatur, quod Tridentinos labores iterum subirent, cum potius Concilii exitus sperandus erat, ita jam expensis, digestisque rebus, quarum causa convocatum fuerat, ut nihil amplius deesse videretur, nisi solemnibus in Sessione Decretorum promulgatio: inter Patres tamen adest nemo, qui, ut religioso Pontificis, ac Cæsaris studio, & inclytæ Nationis Germanicæ commodis serviret, Tridentum regredi recusat, & graviora insuper ibi perpeti: si modo, dum sola Germania curatur, non ipsa Ecclesia universa per eam fortassis intempestivam migrationem, & id temporis, & in posterum, manifestis perturbationibus exponeretur.*

§. XC.